

C U R R E N D A.

Venerabili Clero Dioecesano, Salutem in Domino!

Nro **1670**. Excelsum C. R. Gubernium sub 50. Septembris 1845 Nro 60127 collectionem eleemosynae pro incolis oppidi Policzka in Bohemia Circuli Chrudimensis incendio devastati praedisposuit.

Quam collectionem tenore praecitati Alti Decreti pro viribus promovendam Clero Dioecesano commendamus cum eo, ut collectae fors quotae ad C. R. Casas Circulares comportentur.

Premislae die 28. Octobris 1845.

Nro **1856**. Pro incolis civitatis Dauba in Bohemia per incendium die 4. Junii 1845 magnam jacturam passis, collectio eleemosynae Alto C. R. Gubernii Decreto dto 30. Octobris 1845 Nro 70171 praedisposita, Clero Dioecesano pro viribus promovenda commendatur cum eo: ut nefors collectas quotas ad C. R. Cassam Circularem respectivam comportari curet.

Premislae die 13. Novembris 1845.

Nro **1899**. Deputatio inclytorum Statuum Regni Galiciae et Lodomeriae observationem fecit, quod obstetrices stipendiis ab inclytis Statibus hujus Regni provisae ac concernentia diplomata assecutae, obligationi suae combibitam artem rure exercendi tanto minus satisfaciant, ac potissimum in Metropoli aut aliis Galiciae civitatibus domicilia sua figere soleant.

Ad obviandum dicto incommodo in futurum simile stipendium solummodo mulieribus ruricularum, utpote per consuetudinem ac nexus familiae ruri alligatarum, aut uxoribus officialium dominicalium, pariter vi suae vocationis rure degentium, concedetur. Ut itaque collatio quaestionis stipendiorum securo fundamento superstrui queat, respondentes votis supra laudatae Deputationis, Consistorio medio Notae ddo 20 Octobris a. c. ad Nrum 723 adaptatis, universo Clero Nostro Curato praesentibus injungimus, ut A. R. Parochi aut Parochiarum Administratores in extradendis idgenus feminis contestationibus domicilii cum omni quam actus hujusmodi meretur, accuratione procedant, in specie vero in testimoniis moralitatis hanc circumstantiam exprimere nunquam praetermittant: num Candidata per relationes suas externas ruri adstricta sit, fundatamque spem faciat, fore ut combibitam artem obstetri ciam rure exercere possit?

Premislae die 14. Novembris 1845.

Nro **2080**. Attentum reddimus Venerabilem Clerum Dioecesanum in opus perquam accomodum, utpote practico usui multum inserviens, quod cuivis Ecclesiae Rectori circa tractanda varia negotia necessariam praebet informationem. Summa operis hujus dignoscetur e prospectu officinae librariae Gracensis, quem per extensum communicamus:

Im Verlage der Franz Ferstl'schen Buchhandlung in Grätz (Herrengasse Nro 216) erscheint, und wird hierauf in allen Buchhandlungen des In- und Auslandes Pränumeration angenommen: Das Pfarr- und Dekanat-Amt mit seinen Rechten und Pflichten in den k. k. österreichisch-deutschen Ländern, sowohl nach dem Kirchenrechte und der Pastoral, als auch nach den Allerhöchsten darauf Bezug habenden bis zum Schlusse des Jahres 1845 erlassenen und als geltend bestehenden k. k. Gesetzen und Verordnungen, nebst Formularien von Geschäfts-Aussagen und Tabellen. Mit Genehmigung des Fürstbischöflichen Seckauer-Ordinariats. Herausgegeben von Peter Baldauf, freiresignirtem Fürstbischöflich Seckauer Diözesan-Pfarrer in Steiermark. Dritte vielvermehrte Auflage. Sechs Theile. I. Die Verwaltung des Pfarramtes mit seinen Rechten und Pflichten. II. Das in den k. k. österreichisch-deutschen Ländern bestehende Ehe-Recht. III. Pfarrämtliche Pflichten und Rechte in Hinsicht auf Schulwesen, Armen- und Gesundheitspflege, Waisen- und Findelkinder-Beaufsichtigung, dann Konstriptions-Revision. IV. Pfarrämtliche Notariats-Geschäfte, dann Verwaltung des Kirchen-Vermögens und Beaufsichtigung der Kirchen- und Pfarr-Gebäude. V. Pfarrliche Einkünfte und Abgaben, dann Pensionirung und Verlassenschaften der Geistlichen, nebst dem Pfarr-Previsoriat-Arte. VI. Die Verwaltung des Dekanat-Amtes mit seinen Rechten und Pflichten. Das Werk circa 112 Bogen umfassend erscheint in Groß Median-Format auf schönstem weißen Post-Druckpapier, mit ganz neuen Lettern gedruckt. Für den Werth dieses Wertes spricht der schnelle Absatz der früheren beiden Auflagen, und das bereits gefühlte Bedürfnis nach dieser neuen bedeutend vermehrten. Hierauf gestützt, enthält man sich aller weiteren Empfehlung, und erlaubt sich nur darauf aufmerksam zu machen, daß die Vermehrungen von bedeutender Wichtigkeit sind, und das Werk sehr vervollkommen. So ist unter Anderen das neue Stempel- und Targeseß, nebst den nachträglichen finanziellen und den bestehenden politischen Verordnungen mit großem Fleiße bearbeitet; und um sich in allen vorkommenden Fällen schnell Rath's erhoblen zu können, mit alphabethischen Verzeichnissen versehen. Mitte Februar 1846 wird der erste Band ausgegeben. Der zweite bis sechste Band folgen in kurzen Zwischenräumen so daß im Jahre 1846 das Werk gewiß vollständig erscheint. Pränumeration's-Preis bis Ostern 1846 für alle sechs Bände fl. 5 Konv. Münze; nach Verlauf dieses Termins tritt sogleich der erhöhte Ladenpreis ein. Die Namen der P. T. Herren Pränumeranten werden dem letzten Bande beigedruckt.

Opus tale acquirere cupientes quotam praenumerationis et nomina sua medio respectivi Officii Decanalis ad Cancellariam Nostram Consistorialem submittant necesse est.

Premislae die 15. Decembris 1845.

Nro 2220. Alto Excelsi C. R. Gubernii Decreto dto 15 Decembris 1845 Nro 80922 emanato praedisponitur collectio eleemosynae pro pago Padola in Regno Veneto incendio die 22. Octobris 1845 combusto.

Quam collectionem promovendam Venerabili Clero Dioecetano commendamus cum eo, ut collectas quotas ad C. R. Cassam Circularem proximam comportari faciat.

Premislae die 15. Decembris 1845.

Nro 58. ex 1846. Hospitium S. Antonii Smyrnae novissimo incendio gravi calamitate afflictum extitit, conflagrarunt ei omnia aedificia, ad quorum reaedificationem omnibus mediis destitutum est. Augustissimus Imperator et Dominus Noster pro consueta egenis opitulandi promptitudine et habito respectu benefici influxus, quam hoc salubre institutum in omnes Christianos peregrinantes ad terras orientales exerceat, Altissimo Rescripto Suo ddo 25. Novembris 1845 dignatus est concedere, ut subditi Christiani ad eleemosynam provocentur.

Obligamus ergo Clerum Dioecesanum, ut et propriis piis largitionibus et efficaci aliorum cohortatione praedictum institutum religiosum pro viribus sublevet.

Quotas collectas Adm Rndi Decani ad Cancellariam Consistorialem in sequelam Alti Praesidialis Decreti ddo 2. Januarii 1846 Nro 10437, comportabunt.

Premislae die 12 Januarii 1846.

Nro 112. Indigentis Dioeceseos succurrere volentes, Sacrae Sedi Apostolicae supplicavimus, ut de gratiarum thesauro facultatem ab jejuniis quoque dispensandi Nobis benignissime tribuere dignaretur. Imminente itaque jam jejuniis quadragesimali, litteris praesentibus universum edocemus Venerabilem Clerum, facultates quaestionis reapse sub die 21. Septembris 1845. a Sanctitate Sua Nobis concessas extitisse, quas omnibus Rectoribus Ecclesiarum pro dispensandis fidelibus, ubi id necessarium agnoverint, Auctoritate Delegata tenore harum impertimur his sub conditionibus, quae a p. m. defuncto Loci Ordinario statutae fuerunt. Nempe:

- a). Pro diebus Mercurii, Veneris et Sabbati in Quadragesima, item pro tempore a die Cinerum usque ad Dominicam I. Quadragesimae, denique a Feria IV. Majoris Hebdomadae usque ad Sabbatum Sanctum inclusive dispensatio nisi ob graves rationes, pro diebus reliquis Quadragesimae omnibus, cum precibus suis ad Matrem Ecclesiam recurrentibus, concedatur.
- b). Dispensatio talis ad qualitatem ciborum, minime vero quantitatem illorum extenditur.
- c). Obligatio jejunii, super qua dispensatur, suppleatur variis pietatis christianae officii, quales sunt: eleemosyna, oratio, infirmorum visitatio. — Juvabit quoque injungere in memoriam passionis Domini Nostri Jesu Christi, Psalmum recitandum: Miserere mei Deus, vel septem poenitentiales cum Litanis de Omnibus Sanctis et orationibus hisce adnexis.

Ut vero hoc Ecclesiae praeceptum salubres gignat fructus: praevis sermo ad populum fidelem desuper erit instituendus, nec non obligatio ejusdem servandi vivide commonstranda, quatenus carnales concupiscentias abnegantes, fontem vitae sitiunt Jesum Christum Dominum Nostrum.

Caeterum omnes Curati, Administratores, Commendarii et Cooperatores a Decanis respectivis pro persona sua dispensationem expetant, qui pariter ac Conventus Religiosorum et Monialium hoc in negotio ad Praesidium Consistorii hujus, idque tempestive recurrere debebunt.

Premislae die 13. Januarii 1846.

Nro 1260. ex 1845. Resultatum instituti temperantiae per ambitum Dioeceseos, uti e relationibus perjodicis cognosci licet, singulari animo Nostrum implet gaudio commovetque Nos ad ferendas Omnipotenti gratias, qui exiguis mediis de inscrutabili bonitate tot tantaque assequi concedere dignatus est. Profecto, si numerum voventium in Dioecesi ultra 270000 aegredientem respexerimus: et laboris Cleri in vinea Domini, et fidelium ad saniora proclivi animi inveniemus indicia, quae de venturis temporibus optima sperare sinunt, quinimo jam in praesentiarum fructus germinarunt expectationem Nostram longe superantes. Supersistendo dictis relationibus morbi minus grassantes, mortalitas imminuta, bonum materiale promotum, laboris amor excitatus de meliorato fidelium physico statu abunde testantur; ast et partem hominis moralem in melius esse immutatam neminem potest latere, qui zelum fidelium circa visitandas Ecclesias, frequentandas instructiones catecheticas, scholas parochiales introducendas, sortem infortunio oppressorum alleviandam excitatum et his temporibus

toties comprobatum respexerit, unde concludere licet, sensum hunc in melius, fonte vitiorum obturato pedetentim progressurum caeteraque dominantia vitia, societatis humanae dedecus et macula e medio tollenda fore.

Ne autem sub initium laborum omnia jam peregissee censeamus: Venerabilem Clerum praesentibus exhortandum duxi, ut et ulterius munere suo non desit, memorque vocationis suae aestum diei varias inter difficultates lubenter portet in id intentus, quatenus introductum hoc salubre institutum firmis superstruatur fundamentis. Hisce itaque receptis Venerabilis Clerus scopum instituti temperantiae memoriae fidelium refricabit, promanatas brevi hoc tempore salubres sequelas vivo sermone enumerabit, ad grates Deo ferendas et auxilium desursum deprecandum excitabit, ad firmiter persistendum in proposito fideles provocabit, ne relapsu et conscie ntiam suam graviter onerent et aliis offendiculo fiant. De caetero superinvigilandum erit, ne socii instituti hujus a proposito suo coram Deo et hominibus solenniter manifestato deflectere se sinant, occasionem proximam vitent, cauponas non visitent, perversorum sollicitationes aegre ferant, circa quae omnicoactione seposita media mere spiritualia in confessionali et instructionibus catecheticis adhibenda venient, uti id Instructione dno 8. Octobris 1844. Nro 70 Praesid. indicatum fuit.

JOANNES KOMARNICKI.

ADMINISTRATOR DIOECESANUS.

Ex Consistorio Eppali r. l.

Premislae die 20 Januarii 1846.

Adalbertus Dziama

Cancellarius. i